UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 29. Præsulum Parisiis congregatorum epistola encyclica ad omnes absentes Regni Archiepiscopos & Episcopos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67615

Visual Library

„tione, nobiſcum ſtrenue adlaboranti- Sæc. XVIII.
„bus, humilis Chriſti grex paſcua ſa- A. C. 1714.
„lutis expectans, doctrinis variis, &
„peregrinis amplius non diſpergatur,
„ſed in caulam Domini congregatus,
„e cathedra unitatis doctrinam ſuſci-
„piat veritatis. Interea nos, dum te-
„ſtata nobis devotionis veſtræ conſilia
„libenter amplectimur, & ſaniora a diſſi-
„dentibus fratribus præſtolamur, Deum
„patientiæ, & ſolatii jugiter orare non
„deſiſtemus, ut det vobis idipſum ſa-
„pere, in alterutrum ſecundum Jeſum
„Chriſtum, ut unanimes uno ore ho-
„norificetis Deum, cujus nomine vobis
„omnibus Apoſtolicam benedictionem
„peramanter impertimur.„

§. XXIX.

Præſulum Pariſiis congregatorum epiſtola encyclica ad omnes abſentes Regni Archiepiſcopos & Epiſcopos.

Poſtea Cardinales, Archiepiſcopi atque Epiſcopi Pariſiis congregati die quinta Februarii præfatam inſtructionem Paſtoralem unacum Conſtitutione Pontificia ad ceteros omnes totius Regni Præſules transmiſere, adjecta epiſtola, in qua jam a decima ſexta Octobris juſſu Regis fuiſſe Pariſiis eo

Sæc. XVIII. A. C. 1714.

fine congregatos significabant, ut de modo hanc Pontificiam Constitutionem uniformiter acceptandi inter se deliberarent: Tum ajebant, librum, ex quo centum & una propositiones fuissent extractæ, ejus esse conditionis, ut nullus alius unquam liber majori applausu exceptus, nec severiore unquam censura dignus, tantoque artificio compositus, ut quivis, si illum obiter pervolvit, facillime decipi possit, eum vero detestabilem agnoscat, quamprimum illum attente examinaverit: in eo, scribebant Præsules, reperiuntur non modo errores toties damnati, sed etiam Jansenii & Baij proscriptæ propositiones continentur: Deplorabant etiam, Ecclesiam non jam vanis argutiis, sed aperta fronte impugnari, & ejus anathemata contemni: ad hæc mala evertenda nil magis necessarium esse ajebant, quam unionem Pastorum cum supremo suo capite, dum vel Episcopi primo suo judicio pronuntiant, illudque postea Pontifex confirmat, vel dum Pontifex prior decidit, & suam decisionem ad Episcopos transmittit, ab eis exequendam, acceptandamque: posteriorem hanc viam vestigiis suorum Prædecessorum, qui taliter ad Jansenianarum propositionum damnationem devenerunt, inhærentes in præsenti

ſenti rerum ſtatu magis opportunam ſe arripuiſſe, inquiebant, præcipue cum Præſulum non pauci per plurimos annos judicium ſacræ Sedis præſtolati eſſent, nunc vero Eandem ſua Conſtitutione detexiſſe hujus libri venenum & errores, poſt diuturnum autem, maturumque tot menſium examen ſe idem cum Pontifice judicium pronuntiaſſe, hancque Conſtitutionem, in qua Eccleſiæ doctrina continetur, cum debita ſubmiſſione acceptaſſe, librum & propoſitiones eodem modo, quo Pontifex, damnaſſe, nilque reliquum eſſe, quam ut ſincera ejusdem judicii executio in cunctis Diæceſibus urgeretur: hanc in rem ſe uniformem Inſtructionem edidiſſe Paſtoralem, qua fideles facilius hujus Bullæ ſenſum aſſequi, ac ſeſe contra malignas interpretationes, quarum non paucæ ad obſcurandum verum illius ſenſum jam dudum ſparſis libellis comparuiſſent, præmunire poſſent: Denique cunctos rogabant Epiſcopos, ut juxta hanc Inſtructionem & Prædeceſſorum morem Pontificiam Conſtitutionem promulgarent, illiusque executionem urgerent. Hanc epiſtolam præter duos Cleri Agentes rurſus quadraginta Præſules ſuo ſigillo ac chirographo firmabant.

Sæc. XVIII. A. C. 1714.